

Frachetta:
De religione
principis
av Philippum
H. K. p. p. p.
e. g. e. m.



52



5/15.

33

20.

27

M

O T I V

omni diebus in diebus

DISCURSUS
 HIERONYMI FRACHETTÆ SANCTI
 ITALI,
 DE
 RELIGIONE PRINCIPIS,
 AD
 PHILIPPUM III, HISPANIÆ REGEM,
 NOTIS ILLUSTRATUS,

22

OT
 TYPIS RITZSCHIANIS.

Lf 245

longevi - Professi - Beniamini animi

1790



V I R O

Amplissimo aequè ac Prudentissimo

DOMINO

LEONHARDO Schwendörffer /

MAGNI ELECTORIS SAX.
CONSILIARIO;

Reipubl. Lipsiensis;

ÆDILI gravissimo;

Nec non

Ærarii ad S. Nicolai PRÆFECTO
dignissimo;

PATRONO meo precipuo,

Longævi - Prosperi - Beatitatem animitus
precor & exopto!



Hanc quæstionem, V I R amplissime
ac prudentissime, D E RELIGIONIS
T O L E R A N T I A non chartis, sed lacertis;
non lingvâ, sed pugnâ; non argumentis, sed
armamentis; non atramento, sed ferra-
mento pertractatam esse, vix sine singultu
atq; lacrymis acerbissimis recordatur maxima E U R O P Æ
pars. Quid enim florentissimam G A L L I A M! quid fer-
tilissimam A N G L I A M! quid bellicosam H I S P A N I A M!
quid cultissimam B E L G I I provinciam acrius concussit,
quàm cruenta, de hac quæstione, D I S Q U I S I T I O; adeò
ut ejus D E C I S I O non atramento, sed plurimorum san-
guine scripta videatur. Vidisses etenim (A. C. 1572. *Thuan.*
Libr. 52.) Lutetiæ Paris. flumina, ob Relligionis dissidium
sanguine C I V I U M rubentia; plateas cadaveribus decer-
ptis oppletas, ædes expilatas & cruore madidas! Vidis-
ses quod mireris, à nepotibus avos prodi; à Filiis Parentes,
fratres à Sororibus! Exhibuit Lugdunum habitatoribus
suis luctuosissimum spectaculum; cum filii Patrum collo
implicati, Patres filios complexi, fratres, amici, se ad con-
stantiam invicem hortantes, ab efferatis laniis, bajulis, na-
viculariis, ceu pecudes mactarentur, inter ululatus, lamen-
ta, clamores horrendos, quî totâ urbe personabant. Hujus
Conjuratiõis San Bartholomeana, omnium scelerum & fla-
gitiorum *panthera* memoriam, Chr. Thuanus, Parlamenti
Parisiensis Præses, totâ vitâ graviter detestatus, illos Statii
Papinii versus in dispari re licèt, huc accommodare solebat:

*Excidat illa dies ævo, nec postera credant
secula; nos certè taceamus, & obruta multâ
noctè regi propria patiamur crimina gentis.*

A 2

Vidisses

1529
Vidisses maledictam concionatorum A. C. 1589. in-
temperiem, qui omisâ verbi D'OMINICI interpretatio-
ne, bacchantibus similes convitiatorum planstra in REGEM
FRANCIÆ Henricum III. Unctum ipsorum & naturalia
DOMINUM evomebant, dicenda, tacenda blaterantes,
tyrannum, hypocritam, perfidum, crudelem vocitantes,
ad raucedinem clamosi; quorum exemplo pædagogi &
hujusmodi rancida scolastici pulveris purgamenta, mise-
ros ac ridiculos versus seu rythmos, in REGIS opprobrium,
quasi sectariam pestem in REGNO stabilire vellet,
balbutiebant. Inquieta gens, tranquillitatis inimica, &
turbarum rixarumque avida; quod Flandri adagio in-
nuunt isto; *Quand le Francois dort le diable le berse*; quan-
do Gallus dormit, diabolus est motor cunarum. *Th. Lans.*
de Princ. German. fol. m. 419. His artibus cum inde ple-
bem jam furentem abundè inflammasse & inde odium ac
contemptum in REGEM effudisse sibi viderentur, reli-
giosas execrationes in ipsum meditantur, & supplicationes
publicas indicunt; in quibus frigido adhuc cœlo pueri nu-
dis pedibus & mulieres ac Virgines, pudoris oblitæ, lin-
teis solis amicti incedebant. Candelas manibus tenen-
tes, quas post epodas dissono clamore decantatas, extin-
guebant, & quasi Meleagri titione extincto, sicuti in fa-
bulis narratur, vitam Regis extinctum iri aut optantes
aut sperantes. Ac pleræque inter eas erant, quæ quò for-
mosiores, ut pietatem suam circumspicientibus magis
approbarent, lineis tantùm tunicis tenuibus, quasi mul-
ritiis velabantur, ita ut corpus pelluceret, & ad curiosos no-
bilium adolescentum, dum incedentibus officiosè adjuvāt,
oculos interdum & improbas manus pateret. *Thuan, Libr.*
94. fol. m. 262. Tandem *Jacobus Clemens* Sorbona vico
Senonum in S. Dominici familia Agendici educatus, cir-
citer

37. 172
citer XXII. annos natus, literarum rudis, ideòque in
otio sordido per ganeas cum plebe vagus, sive furibundis
concionatorum declamationibus, & novitiorum theo-
logorum disputationibus, qui tyrannum impunè occi-
dere licere affirmabant, sive proprio periculo incitatus,
quod vulgò jactaretur, Regem cum Navarro (Heinrico
IV. A. 16. 10. in curru suo à Fr. Ravalliacò miserè interfe-
cto) decrevisse, omnes sacros Ordines exemplo Elisabe-
thæ Anglorum Reginae abolere, patrem è suo ordine, qui
eruditione inter collegii sodales excellebat, super eare,
an liceret Regem interficere, non suo, sed alieno nomine
consulit, qui tandem sic respondit: *Eum, qui consilium pe-
tat, si quidem non odio aut ultionis privata studio, sed amore
DEI inflammatus, pro religione, & Patriæ salute id suscipiat,*
*non solum id in offensâ conscientiâ facere posse, sed multum apud
Deum meriturum, & si in actu ipso moriatur, proculdubio inter
beatorum choros animam ejus evolaturam.* Hoc responsò tan-
quam ex ore Dei profectò oraculò confirmatus Clemens,
omniq; ex animo scrupulo exempto planè securus, quo
aditum sibi ad Regem pararet, acceptis à Carolo Lucen-
burgico Briennio comite literis, & introductus, traditis,
propius accedere jussus, ut secreta, coràm exponeret man-
data, dum Rex chartam denuò ab eo porrectam attentis
oculis percurrit, promptum subito è manica cultrum ma-
gnâ vi connixus in imum ventrem immittit; quo ictu ino-
pinato percussus Rex cultrum in vulnere relictum pro-
pria manù educit, eoqve percussorem supra oculum læ-
vum ferit. Tum Monpescus, Loniacus & Joannes Le-
vius Mirapicensis, qui aderant, hominem ictu regis atto-
nitum superante irâ pressum humi sternunt, statim in-
numeris vulneribus confossum interficiunt, tum in mortu-
um tanquam parricidam, latâ sententiâ, corpusqve crate
A 3 tractum

tractum atque ad horrorem spectaculi à quatuor equis dis-
cerptum, ac postremo igni omninò abolitum est, cineri-
bus in proximum profluentem projectis. Rex à chirur-
gis curatus cum clystere indito sanguinem non misisset,
convalescere ex vulnere posse creditus est, datisque ad præ-
fectos & Principes amicis literis ea spes sparsa, quæ mox
evanuit. Nam cum Kalendis Vtilibus manè vulneratus
esset, sub noctem, febre violentâ correptus est, sensimq;
collabentibus viribus ad astantes conversus, *Non me bre-
vis ævi, quæror, ô amici; satis diu ad gloriam & ad salutem vi-
xit, qui in Deo moritur; plura lustra victuro, plura quæ noluif-
sem, videnda, patienda, facienda erant: in hoc æstu rerum, ex-
pertus loquor, multa nos ducunt, plura trahunt coguntque,
minimum cupiditates & libido in summo fastigio vindicant, in
quo alieno potius, quam suo arbitrio res eunt quæ non fœda,
horrenda, & aspera transvolant oculos meos? Quid non inju-
riarum ac contumeliarum nimis libenter pertuli, ut pacem inter
consentientem in religione servarem, & fundendi sanguinis ne-
cessitatem vitarem? Quæ omnia in contemptum nostrum, hosti-
bus in audaciam verterunt. De morte mea ulciscenda non val-
dè angor; ea Deo cura erit, in cujus schola educatus inimicis
parcere à puero didici, in altero, ut constanti animorum concor-
diâ perseveretis, vos per patriæ caritatem, per majorum cine-
res oro obtestorque, sicque vobis persuadeatis in concordia ve-
stra regni Francici nominis salutem positam esse. Ex religio-
nis causâ, quæ fortassè ab initio fuit, in factionem itum est; eam
regni ordinum arbitrio permittite, hocque fixum ratumque a-
nimò tenete, religionem, quæ à DEO mentibus insinuat, ab
hominibus non imperari; jamque charissimi amici valete; nam
me deficere sentio, & omissis lacrymis pro me apud DEUM
nunc & post mortem meam preces fundite paulò post sacro via-
tico procuratus placidè vitam finivit. Thuan. lib 96. Dignus
com-*

27. 1527.

commiseratione, scribit *Johann. Serranus* in *Inventar. Rev. Franciscar.* in eo imprimis, quod tam indignam ab ecclesiastico ordine accepit mercedem, cui tantam cum affectione temper favit. Sed sic est, gravissimè conqueritur *Vir illustris Jacob. Augustus Thuanus*, Regii in sanctiore Consistorio Consiliarius, & in supremo, Regni Gallici, senatu Praeses amplissimus, Catholicae fidei tenacissimus, & Ecclesiae Romanae, quam sanctissimi Apostoli Petrus & Paulus scriptis & sanguine suo consignatis fundaverunt, religiosissimus cultor, qui vel tantillum ab ea recedere summum semper esse nefas existimavit, (*Verba sunt Praetoris Praefectura Parisiensis*) religio, quae Fide & certa de bonitate Dei fiducia, nec non caritate olim nitentur, & majora in dies incrementa capiebat, hodie factio- ne & humanae prudentiae carnisque consiliis & coitionibus valere ac sustentari creditur, quibus quantum tribuimus, tribuimus autem nimium, tantum divinae providentiae, a qua omnia administrari & regi potius credendum est, ingenio nostro confisi detrahimus. Quo fit, ut Deus peccatis nostris exasperatus nos propriis cupiditatibus caecos in reprobum sentum raptari sinat, ut quae recta sunt, non videamus, & quae fieri non conveniunt, faciamus: & ad extremum verendum sit, ne malum per se ingens, si diutius ab iis, qui nimis securè aut plus aequo sibi ac propriae sollertiae tribuentes de iis rebus, praeposterè plerumque pronunciant, negligatur, quod recti sinceri que ex unione pristina & legitima successione superest, gangranam serpente depascatur, tempusque illud veniat, quo regnum DEI atque illic frustra quaeratur, quod intra paucos erit. qui unionem & ordinem cum mansuetudine animi & aequitate servaverint. *Commentar. de vita sua. lib. I. fol. m. 165.* Aculeatam verò hanc, & tot myriadum sanguine innocuo rubicundam, TIBI VIR MAGNE, promore, qui sacer quasi obtinuit, offero.

1720
offero quæstionem, simul ac obnixè rogans, ut TUO,
id est, sereno vultu excipias, & mihi meisq; studiis faveas.
Vale & diurna; Subitò in Pöbles. Kal. Aug. Anno redona-
tæ salutis clō. Ioc. XXXVI.

TUÆ AMPLITUDINIS

Studiosissimus

Nicolaus Wolschöndorff
Ecclesiastes inibi.

Milli

Ulli ex Antagonistis nostris Romanis,
qui de Religione scripserunt, nil nisi ferrum flā-
masq; evomere; Prudentiores, iis posthabitis,
mitioribus usi sunt remediis. Ex illis moderatio-
ribus est Hieron. Frachetta, insignis ac ce-
leberrimus inter Italos politicus, cujus discursum lectu di-
gnissimum ex Etrusca in Romanam Cyr. Herdesianus ICTus
contulit vocem. Tu benigne LECTOR, lege, judica!

MUlli ex Antagonistis nostris Romanis,
qui de Religione scripserunt, nil nisi ferrum flā-
masq; evomere; Prudentiores, iis posthabitis,
mitioribus usi sunt remediis. Ex illis moderatio-
ribus est Hieron. Frachetta, insignis ac ce-
leberrimus inter Italos politicus, cujus discursum lectu di-
gnissimum ex Etrusca in Romanam Cyr. Herdesianus ICTus
contulit vocem. Tu benigne LECTOR, lege, judica!

Sed non importunam hinc fuerit perpendere paucis, U-
trum pii ac religiosi sit Principis, invadere ditiones vel sta-
tus eorum, qui ignari sunt veræ fidei, eosque vi & armis
cogere ad amplectendam illam, ac ita ejus intuitu spoliare
Principes ditionibus, sibi que eorum subditos subdicere.
Primò intuitu videtur, quod ita; cum bonum spirituale ac æ-
ternum, cujusmodi salus est anima, præferatur corporeo, velut
temporaneo. Unde qui id querit ac promovet, præmium mere-
tur ac gloriam. Accedit jussum Christi Redemptoris nostri, quod
dedit Apostolis; ut peragraturi terrarum orbem Evangelium
prædicarent, hac lege, ut, qui crederet & baptisaretur, salvus
foret; qui secus, damnaretur. Quò præcepto videtur cautum,
ut omnes Principes Christiani teneantur favere & juvare omni
modo religiosos, quo facilius convertantur populi; Alia verò par-
te contraria elucet sententia, Deus enim non vult milites a-
lios, quam voluntarios, nec unquam jussit, ut aliquis cogere-
tur ad fidem, sed duntaxat, ut moneretur. A. Neque enim Zi-
zibus Hispaniarum Rex laudatur, quod compulerit Judæos ad
baptisma sacrum, quamvis ad id sancto Zelo fuerit adductus. B. B.
Quin posito, quod imperatum esset, populos ad Religionem a-
digere; nihilominus tamen injustum, ut ejus obtentu eorum
B bona

bona occupentur, dissipentur ac devastetur patria, neque enim
C. faciendum malum, ut bonum eveniat; **C.** multò minus justum
 est adimere regna vel principatus istiusmodi Principibus, qui ab
 ipsorum subditis recognoscantur pro legitimis ac justis, nisi alià id
 fiat de causâ, quàm ut duntaxat velint introducere fidem; id
 verò licitum est, ut ad fidem eos populos, qui cum in ea sint nati,
D. D. aut, ubi semel eam susceperunt rursusque ab ea diverterunt
E. F. propter contemptum, quem illi faciunt, compellamus; Deinde
F. ut tyrannos ejiciamus Regnis ac Rebuspub. **F.** Hanc posteriorem
 opinionem ego defensusurus ità respondeo ad rationes pro altera su-
 prâ adductas; priori, quod licet verum sit, bonum vitæ æternæ cui-
 vis temporali anteferendum esse: Deus tamen non vult id vi con-
 ferre: cupitis quidem omnes salvos fieri, sed neminem cogit;
 Ad posteriorem ajo, Principes Christianos teneri quidem fidei
G. promulgationem juvare vel promovere, tum pecuniâ, **G.** tum
H. testimonio bonæ vitæ eorum, qui eunt prædicatum **H.** cum & ex-
 hortationibus ad populos & principes pro illorum receptu ac fa-
I. ventia dirigendis **I.** non verò armis & exercitibus, nisi fortè
 pro recuperando statu, qui antea Christianorum fuit, impre-
 sentiarum verò occupatus sit ab hostibus Religionis; Quare sicut
 licitum est justumque invadere, exempli causâ, Turcas & expel-
 lere statu: Ita fortèan nec justum vel licitum fuerit assilire Re-
 gi China armis & ipsi auferre Imperium.

Commentariolus in FRACHETTI
 de religione Discursum.

A.) Rex enim solus animarum DEUS est, & iudex: Un-
 de nullus Principum in eas sibi imperium vindicare debet, nisi ex-
 inde tumultus vel seditiones exorirentur; Breviter: Religio
 vult persuaderi, non cogi. Unde Maximiliano II. Optimo
 & pacifico Imperatori placuit, nullam intolerabiliorem dici
 tyra-

tyrannidem, quàm dominari velle conscientis. Et Illustrissimus Princeps Dominus Philippus Senior, Hassiæ Landgravius, in Testamento, quod Filiis suis reliquit, eosdem ab hæreticorum capitalibus suppliciis his verbis dehortatus est: Einigen Menschen der vnrecht glaubt / zu tödten / haben wir nicht gethan / wollen auch unsere Söhne ermahnet haben / solches nicht zuthun: Dann wir es / das es wieder Gott sey / halten / wie auch Augustin. Chrysof. vnd die Tripartita Historia Klar schreiben. Summa dictorum ad hoc Lactantii redit: Defendenda est Religio, non occidendo, sed monendo; non sævitia; sed patientiâ; non scelere, sed fide. Dietr. in analys. Evang. part. 1. fol. 418. Quid, quod recenti memoria hæret, superiori tempore dira conscientiarum carnificina, in Belgio, Gallia, Italia, Hispania & alibi effecerint? Crevit exinde Ecclesia sanguine; de quo inter alios plures accuratè disserit Jacobus Augustus Thuanus in prefamine historico ad Christianissimū Franciæ & Navarrae REGEM Henricum IV. Religionis dissidium jam toto penè seculo orbem Christianum continuis bellorum motibus vexat, & deinceps vexabit, nisi tempestiva remedia, atque adeò alia, quàm quæ hæctenus adhibita sunt, ab iis, quorum præcipuè interest, adhibeantur. Nam experienciâ satis edocti sumus, ferrum, flâmas, exilia, proscriptiones irritasse potius, quàm sanasse morbum menti inherentem; ad quem proinde curandum non iis, quæ in corpus tantum penetrant, sed doctrinâ & sedulâ institutione, quæ in animum leviter instillata descendit, opus esse: alia quippe omnia pro arbitrio civilis Magistratus atque adeò Principis sanciantur, sola religio non imperatur, sed ex præcepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratiâ, benè preparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent; quin obfirmant potius animos, quàm frangant aut persvadeant.

Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio & dolor; & quicquid aliud incommodi est,

virtute, quae ab illa praecipua opinione ingeneratur, obruitur. Nihil illi eorum, quae ferenda sunt, displicet: quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur. Vires suas novit, dumque se Dei gratiam fretum putat, oneri ferendo se quoque parem futurum confidit. Stet illic licet carnifex, licet tortor ferrum & flammam admoveat, perseverabit; nec quid passurus, sed quid facturus sit, cogitabit. Felicitas illi quippe domestica est, & si quid extrinsecus intervenit, leve est, & summam tantum cutem stringit. quid? Quod Epicurus ipse ab aliis Philosophis tanquam impurior notatus de sapiente ait: eum, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, Dulce est, & ad me nihil pertinet: An putamus minores iis animos fuisse, qui centum abhinc annis ob religionis causam diversis suppliciis perierunt, aut porro futuros, si in iis perseveretur. Audire est opera pretium, quid unus ex iis dixerit feceritque; cum igni cremandus ad palum alligaretur, ibi genibus flexis canere cepit hymnum, quem fumus & ignis interrupit: Et cum Carnifex ignem post tergum, ne conspiceretur, immittere vellet, Huc, inquit, accede, & ante oculos accende ignem; si enim ullum timuissem, nunquam ad hunc locum, quem fugere licuit, accessissem. Itaque non cruciatibus repressus ardor res novas in religionis causa molientium, sed potius obdurati animi ad majora patiendae, siue audiendae. Nam ubi ex cineribus aliorum alii enati sunt & numerus crevit, patientia in furorem evasit; nec iam supplices ut antea, sed importuni ex postulatores & flagitatores esse ceperunt, & qui supplicia prius fugiebant ultrò etiam arma intulerunt: Id iam quae draginta totos annos in Gallia, paulò minus in Belgio cernimus resque eò tandem devenit, ut non unius aut alterius poena quod fortasse ab initio licuit, malum, ne latius serpat rescari possit, sed cum totos populos, totas nationes atque adeò maximam Europae partem pervaserit, non iam magistratus ferro, sed gladio dominico opus est. &c. Huc usque; Thuanus.

De

De Zisebuto, cujus meminit Frachetta, qui regnavit
A. C. DC. XVI. legatur distinctio XLV. Decret. part. 1. fol.
m. 144. edit. Venet. Anno 1567. ubi à Gregorio sancitur: Quòd
non asperis, sed blandis ad fidem verbis sint aliqui provo-
candi. Ità enim C A N. scribit: *Qui sincerà intentione ex-
traneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perduce-
re, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum
mentem reddita à plano ratio, poterat revocare, pellat procul
adversitas. Nam quicumq; aliter agunt, & eos sub hoc velami-
ne à consuetaritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis,
quàm Dei causas probantur attendere. Et post pauca: Agen-
dum ergò est, ut ratione potiùs & mansuetudine provocati, se-
qui nos velint, non fugere, ut eos ex eorum codicibus ostenden-
tes, quæ dicimus, ad sinum matris, Ecclesie Deo possimus adju-
vante convertere. Sed aliud à Pontificis decernitur, aliud fie-
ri deprehenditur: verbis hoc asserunt, factis contrarium re-
stantur. Annon enim violenter Indos ad fidem cogere volue-
runt? Confirmant id ipsi scriptores pontificii, inter quos Gra-
natenensis ità conqueritur: Hispanorum crudelitate eò res de-
ducta est, ut apud gentes barbaros adeò sit Christianorum no-
men execrabile, ut si quando ad eos Monachi mittuntur, ne illos
simili odio detestentur, necesse sit dicere, illos quidem non Chri-
stianos, sed patres esse, qui ad eorum salutem curandam vene-
rint. Eà enim crudelitatis immanitate Hispanos erga illos fuis-
se usos, testatur, ut sanctissimum Christiani nomen non pietatis
& religionis, sed crudelitatis & immanitatis nomen habitum
sit. Et Josephus Acosta lib. 2. de procur. indor. salut.
Cap. 4. scribit. Quis non videat, quàm implacabile Christia-
ni nominis odium apud barbaros excitetur, quàm grave & im-
medicabile scandalum! tota res ista vergit in obstinatam quan-
dam invidiam, & odium fidei & certam perniciem hominum
Christus quod non debet tributum solvit, ne scandalizet: nos*

177
nullo modo debitas terras, si spoliamus, vexemus, prademus, nullum autem justum timebimus scandalum? Res ipsa satis clamat, per se omnino verum esse, quod scribit Gregorius: Qui fidem asperitatibus propagari volunt, suas, non Dei causas probantur attendere.

Proinde quaestio haec non ignobilis pressius decidenda erit: Utrum vi externâ liceat homines compellere & cogere ad amplectendam fidem seu religionem? Resp. Affirmativam quaestionis hujus assertionem ex verbis Luc, 14. v. 23. *compelle intrare, qui elicere conantur, Elenchum committunt consequentis.* Non enim sequitur: Dominus, inquit, compelle intrare: ergo vi externâ, ferro, igne, gladio, exilo, comminationibus & persecutionibus homines ad fidem cogendi sunt; plus namque est in consequente, quam ex antecedente elici potest. 2. Elench, homonymias est in verbo *Tò cōpellere*; quod hic non de vi externâ & coactione corporali, sed de illa compulsione, quae fit per legem ac ministerium Ecclesiasticum, intelligitur. Ministrorum autem arma non sunt corporalia, sed spiritualia: 2. Cor. 10. 4. fit ergo haec coactio, ubi isti sermonem predicant instando intempestivè, 2. Tim. 4. 2. corripiendo inquietos, 1. Thess. 5. 14. salvando illos per timorem, Epist. Jud., v. 23. ligando & retinendo peccata Matth. 18. 19. Johan. 20. 23. infundendo per legem vinum & vulnera, Luc. 10. 34. Quâ compulsione usus Baptista, Matth. 3. 2. 7. 8. 10. 12. & Petrus, Act. 2. 37. servus enim Dei debet severissimas comminationes & horrenda ira divina exempla impenitentibus inculcare: Dulcissimas verò Evangelii promissiones contritis corde propinare. Quod graviter facientes rectè homines ad caelestem cœnam compellere dicuntur. Gemendo vocate, non rixando: vocare orando, vocate invitando vocate jejunando, ait Augustinus. Hinc videmus, animum nobilissimam hominis partem & aure divinae igniculum, praesertim Evangelicâ luce illustratum, nullis bellorum armorum premi, nullo

1571 1572
nullo fidicularum aut equuleorum genere cogi posse ad ea dogmata suscipienda, quæ vel à ratione, vel divinis scriptis aliena iudicet, præsertim cum neque precibus ullis, neque violentiâ, aut cruciatus acerbitate veritas in rebus. Conscientiam piam, & de sua salute sollicitam spectantibus, eruatur & propagetur; sed amica & benevolâ collatione, & ejusmodi colloquiis & synodis, quales prisca Ecclesia plerumque novit, nostra verò atas hæctenus desiderat.

B.) Hæc cynosura politicorum est, quam in rerum civilium Oceano sequuntur, eamque, ne censuram sacram incurrant, hoc velo muniunt, ut si bonum extractum malo publicam utilitatem, Dei gloriam & salutem multorum respiciat, sicut minus majori cedere debet: Ita illud quoque huic sit præferendum.

C.) Videat ergo pontifex Romanus ejusque alicuius, quo mucrone feriat principes, quos pro hæreticis habet nondum legitime convictos, eorumque subditos juramenti vinculo solvit. Vide Apol. Regis Angl. & Tortur. Tort. In primis Gasper Schoppius in Apologet. adversus Hunn. de indulgentiis, veluti redivivus Doeg summum Magistratum in cervicem Ecclesie armare non veretur, admonens Ejus Majestatem officii, ut auferat malum de Israel h. e. ut ipse interpretatur, ut universos sacerdotes excelsorum (orthodoxos & sinceros Ecclesie Doctores intelligit.) occidat. Quasi verò Magistratus laudatissimus, quid sui sit officii ignoret, nisi hominem grammaticum, adde etiam Apostatam, monitorem habeat. Ferina ista rabies est, sanguine & vulneribus gaudere, inquit Seneca.

Ideo enim hæreticos è medio tollendos putat, ut satisfiat præcepto divino. Quod verò præceptum isthoc? Hic verò magno spiritu ebuccinat formidabilem istam legem ex Deut. 13. à versu. 5. usque ad 11. transcriptam; in qua inviolabile suæ causæ præsidium se habere opinatur.

At quis non vider, Schoppium hinc in ignotâ prorsus regione versari? Promulgat Dominus legem contra
psen-

1570
pseudopphetas : subsumit schopp. de hæreticis. Pseudopphetas
describit Dominus, qui fictis somniorum deliriis verum DEUM
Israëlis abnegant, populumq; contra conscientiam avertunt ad
idola, fictitiosq; cultus deorum alienorum, sibi majoribusq; suis
ignotos. Hos Dominus absq; commiseratione non modò a cor
pore Ecclesiæ rescindi, sed & ex omni hominum catu olim eradi
cari voluit. Hæreticorum verò longè alia est ratio, Pontifi
ciis etiam confitentibus. Non negant illi verum Deum Condi
torem celi & terræ; nec alios deos adorandos esse docent; inter
dum etiam non contra conscientiam errores propagant; sed præ
postero zælo, vel Diaboli instinctu, aut propria sapientia persua
sione fascinati se suosq; nec volentes, nec prudentes, miserè deci
piunt. Proinde non ex veteri lege medicina facienda est, quæ
propter morbi diversitatem non foret salutaris, & propter poli
tiæ Mosaicæ singularitatem omninò ἀνεγσδιόυτος. Sed aliud
Christus & Apostoli præscribunt antidotum, qui hæreticum
hominem non occidere! Sed gladio verbi divini confodere, & per
tinaces ac præfractos cavere ac vitare jubent. Neque verò
quicquam prodest Schoppio illud Zachariæ Propheta, de pseu
dopphetis Novi Testamenti, quos Dominus non vult vive
re sed configi jubet. Non enim inusitatum est Prophetis in præ
dicendis iis, quæ ad Novum Testamentum pertinent, uti phrasibus
Testamento veteri peculiaribus: quemadmodum Joël 2. somnia
& visiones inter dona Spiritus Sancti numerantur, quæ in N. T.
super Christianos effundenda erant; cum tamen novissimis hisce
diebus Dominus non ampliùs per somnia vel visiones, sed in Filio
suo nobiscum loquatur, Hebræor 1. Ità & hic Zachariæ totum
hoc loquendi genus & lege Domini mutuatus est. Secundum
stylum autem Novi Testamenti Tò configere pseudo docto
res est gladio Verbi divini jugulare, & pertinaces anathemate
ferire: quo pacto sui temporis Pseudo doctores confixit & jugu
avit D. Apostolus Paulus Gal. 1. vers. 8.

Alter a

Altera Schoppij ratio, tali includitur syllogismo:

Pii principes divino præcepto jubentur coercere, & punire hæreticos vi istius. Deut. 17. vers. 12. *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, Qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, &c.*

Sed pontifex est secularis territorii Romani princeps.

Ergò Pontifex tenetur vi præcepti istius divini punire & coercere Hæreticos.

Respondeo: *πάλαι μὲν νόμις*. Quid enim in majore propositione amplius urget, quam præceptum Domini de tollendo eo, qui sacerdotis imperio pertinaciter resistit? Quam quidem ad rem abutitur lege Mosaicâ, quæ in allegato Deuteronomii loco nullo verbo attingit controversias Ecclesiasticas multò minus errores Theologicos, sed de politicis tantùm agit negotiis, quæ à judicibus intra portas (loco videlicet publicis judiciis destinato) agitabantur, inter causam & non causam, lepram & non lepram. Et hoc erat summum judicium in populo Israël, cui DEUS præfecerat non solos sacerdotes, sed sacerdotes & judices, qui tantùm juxta Legem controversias deciderent; quæ de causa ab horum sententia provocare non licebat: Sed si quis eò audaciæ pervenerat, ut ne quidem summi judicii sententia, & quidem juxta Legem pronuntiata, stare vellet in eum, ut seditiosum, præfractum atq; contumacem capitali pœnâ, pro forma ejus Reipub. animadvertebatur. Nulla igitur hîc fit mentio vel hæreticorum, vel pœnæ hæreticis infligendæ. Neque verò est, quòd Schopp tantoperè urgeat summi sacerdotis imperium, quod easenus tantum hac lege attingitur, quatenus sacerdos unâ cum judice supremo judicio politica Mosaicâ in decidendis negotiorum, magnam partem politicorum, controversiis divinitus erat destinatus. In Hebræo enim textu non tantum sacerdotis, sed & judicis imperium exprimitur, ubi ita legitur: Quicumq; ex superbiâ noluerit audire sacerdotem **AUT JUDICEM**, morietur vir ille, & auferas malum de Israël. Quod igitur hæretici gladio feriendi sint, ex hoc loco nondum evincitur. Coercendos autem esse à Magistratu hæreticos, & ut pestifera carcinomata à corpore Ecclesiæ resecandos, nemo negat: quòd si publicas & notorias blasphemias non sine seditione & commotione vulgi sparserint, Magistratum jus quoq; gladii in eos usurpare posse & debere concedimus, non quidem simpliciter ut in hæreticos, sed ut in seditiose & *εργόδοσνα λέντες* hæreticos: quæ ratione & publica bonorum tranquillitas

C

litat

1536 litari consulitur, & severitate disciplina trahuntur, qui duci se non sinunt, monente Augustino Epist. 48.

Multo sane rectius, fecisset Schoppius, si acutissimi Lipsii consilium secutus fuisset, in traq; modestia mansisset limites. Ita enim scribit epist. 85.

Quod calamum autem stringis in illos, qui deflexerunt, facito; sed (meo monito) cum modestia semper, imò & amoris, erga eos notis: Ut allucias magis quam alienes, & docere videaris, non pugnare.

D. Cujusmodi sunt apostatae ac haeretici legitime convicti; illos punit lex civilis, an & isti, aliquoties fuit dubitatum, tandem distinctione res facta expedita, ut si seditiosi sint & turbatores cum iis usque ad ignis supplicium procedatur, id quoq; praeter pontificios Genevenses secuti, cum Servetus ibi ob imptam haeresin ac blasphemiam publice fuerit exustus.

Ita enim Apocalypsis insignium aliquot Haesiarcharum refert: Michael Servetus Hispanus Genevam profectus, pestiferarumq; blasphemiarum vomitus vomere & excreare prohibita, monitionibusque acerbioribus ac sanioribus oblectatus est, quem Calvinus pastoris officio defungi cupidissimus Servetum ab erroribus perditissimis haesiq; horribilissima servandum atque Orci quasi faucibus eximendum amicissime adgressus fidelissime castigaturit, is veritati ipsissima acie perstrictus, victusq; praeter intolerabilem pertinaciae vim, atque invincibilem blasphemiae palinodiam Calvino merentissimo nihil debuit; unde ex aequissimo prudentissimoque Bernensium Tigurinorum, Basiliensium, scabhusensium concilio, decreto, Deique aeterni condemnatione justissima, anni M DL III. mense Decembri (Sleidano Octobri) ipsius pertinacissima blasphemiae eheu! obfirmata atque amentata ecstasi etiam tum raptus flammis ultricibus consecratus est. Et Isaac Casaubonus in praefatione praemissa Exercitat. suis ad C. Baronii Annales Ecclesiasticos ad Magnum Britanniae Regem Jacobum VI. Religiosis Regis illius commendat Zelum his verbis: Memini, Rex Georgius quum ante biennium parvus quidam liber, horrendarum haereson plenus, ab haeretico nescio quibus Poloniae Racovia esset editus, & quidem augusto nomini tuo inscriptus: posteaquam in tuas manus is libellus devenit, & tua Majestas pauca in eo inspexit; quanta cum detestatione & scriptum Satanicum & ejus auctores, certissimam satanae progeniem, sis execratus: severe in illos animadversurus si tui juris & potestatis fuissent. Arianum in sua perfidia obstinatissimum, qui in vinculis diu detentus revocari ad sanam mentem nullam rationem

ratione potuerat, flammis ultatricibus in Majestas, impatiens injuria fact.
Domino nostro Jesu Christo, Deo $\alpha\pi\tau\iota\omega$ jussu tradi.

E.) Id in subditis quidem obtinet, quatenus & exinde res novas moliantur; praesertim si superior liberum religionis exercitium permiserit. Quod in Germania est pax religionis; in Gallia Edictum Nannetense, Hinc la chambre de l'edict; vel curia composita ex pontificiis & Reformatis ad decidendas Reformatorum causas, ne ullam possint suspicionis causam praetexere.

F.) Periculosa ac difficilis disquisitio est, quae haecenus non tam ingenia politissima exercuit, quam quae seditionibus ac nefandis machinationibus facem quasi praetulerit; An enim subditis liceat insurgere in legitimum Magistratum, Constat, quid Bucherius, Brutus, Mariana, Windecus & alii seditiosi de hac re evomuerint, ingesserint; Quos non tam privati masculae refutarunt quam [suprema Regum curia damnarunt]; Quorum moderatores destinationes eo tendunt, ut contra Magistratum in vitam subditorum ad conscientiam sevientem eo demum casu, quo nulla alia obvia sunt remedia, quibus a cervicibus ac conscientis intolerabilem sevitiam avertere possint, illi in terminis defensionis legitime, quae omni jure permittitur, liceat resistere; solent praeterea distinguere inter subditos Majores velut Reipublica proceres: Et minores, sicut inter Principem vis absoluta, & eum, cujus potestas limitata, ac circumscripta arbitrio eligentium & procerum moderamen accipit. Vide D. Johann. Forster. in thesauro Catech. Decal. decad. II probl. 3

G. Si enim DEO in Veteri Testamento illa victima eo gratiores fuere, quod pingviores, ut inter alia Caini & Abelis fratrum sacrificantium docet exemplum; Ne acceptior Deo Princeps, qui verbi divini propagandi studio nullis parcit sumptibus, ut fecerunt Constantinus Magnus Theodosius Carol. Magn. Ludovicus Pius Gall. Rex, &c. Tum quod sublati studiorum precibus studia ipsa pereant. Tac. II. Annal.

H.) Boni mores, bona vita praecipuum in sacerdote vel ministro Ecclesiae ornamentum, plurimi quidem eruditionis velo tument vel tunica, nihil sibi & aliis, docendo proficientes; Rara, inquit Symmachus, facundi oris & boni pectoris conunctio; Ubi utrumque Ecclesia & princeps Timotheum nactus est; Lippis & tonsoribus abusus Ecclesiae ac curiae Romanae notus est, refert Genebrardus in orat. funebri de Danesio. Quidam Episcopus, inquit, audiens in concilio Tridentino orationem cujusdam Doctoris Sorbonici (Sorbona

671 1527
Parisius est) dictam adversus abusus Ecclesiasticorum, conversus ad vicinum
dixit, Gallus cantat, Danesius retulit in continenti, utinam illo Gallicinio
Petrus ad fletum excitetur; & Imp. Carol. V. pontificis Augustani de
Luthero conquerentibus respondebat, Weret ihr Pfaffen fleißig / so het-
tet ihr keines Luthers bedörffte.

Theologia enim studium sanctissimum est, quod instar lilii candidissimi
maculam ferre nequit: Correspondeant doctrina & vita, in illâ veri-
tas, in hac pietas dominetur, si ullum horum desit Theologia perfecta non
erit D. Wilh. Lyser disp. de Theologia.

I.) Et sicut olim pontifices Romani, principibus Christianis singulares
titulos attribuere, Imperatori, nomen sacratissimi, Gallo Christianissimi,
Hispanis & ex iis primo Ferdinando, Catholici, Anglo & primum
Henrico VIII posteaquam contra Lutherum librum de septem sacramentis
scripsit, qui adhuc in Bibliotheca vaticana monstratur. Fidei defensoris; Quod
nomen & adhuc Reges Anglia orthodoxi reservant, tanquam capita Ecclesie
Anglicane. Eodem modo & Æthiopum Monarcham, vulgò Janum presby-
terum titulo Apostolici Regis honorare volvere pontifices, quo novo sedi Ro-
mana beneficio obstringeretur: Hinc enim spectant ille nuncupationes & pel-
lectiones.

F I N I S.

1527

1527

m
io
te
to


mi
i-
on

es
io
m
is
nd
ie
y-
o-
l-

Opf 245

ULB Halle 3
006 835 996





DISCURSUS
HIERONYMI FRACHETTÆ FCTI
ITALI,
DE
RELIGIONE PRINCIPIS,
AD
PHILIPPUM III, HISPANIÆ REGEM,
NOTIS ILLUSTRATUS,

TYPIS RITZSCHIANIS.

Lf 245

longevi-Propari-Beniamin animine

Presor & Xopar



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black